



15 92

L. D. B. V.
Ad
DECLAMATIUNCULAS
De
FAUSTINÆ M. AURELII ANTONINI
PHILOSOPHI CONJUGIS
MONETA.



AD QVOSDAM PATRIÆ NOSTRÆ
SCHVVARZBURGICÆ
DEOS TUTELARES

Venerabundo animo & cum falis grano applicatas,
Inque Schola nostra FRANKENHUSANA
d. Martii more solito memoriter cum Deo
recitandas

SYNEDRIUM SACRUM *Venerabilissimum,*
& in hoc DN. PRÆSIDEM *Splendidissimum,*
plurimum Reverendum MINISTERIUM,
Amplissimum *SENATUS COLLEGIUM,*
& in hoc DNN. SCHOLARCHAS,
Omnesque Scholæ nostræ Fautores horumque studio-
rum Amatores
Citra ordinis præjudicium submissè & officiosè
invitat
M. JOH. HOFFMANN R.

ERFFURTI, typis LIMPRECHTIANIS.



Nter alia scientiarum genera hodierno die maximè florentia & eminentia merito refertur etiam nomismatognofia. Hac enim ad tantum dignitatis ac æftimatio- nis fastigium euecta & erecta est, ut summi Principes aliique florentiffimæ ac exquisitiffimæ eruditionis Viri ejus delectamento capti hoc studium magis magisque scriptis lectu delectabiliffimis excolere, numophylacia passim condere & commentatiunculis illustrare haud pigrentur. Quantum enim utilitatis & jucunditatis hoc ex studio non tantum in superiorum facultatum, verum etiam in singularum disciplinarum viridaria pleno quasi alveo redundant, ex plurimis hujus farinae scriptorum meletematibus publicè prostantibus, satis luculenter apparet, ut Iliada post Homerum scribere videretur, qui calamum ad hoc studium fufius explicandum admovere conaretur. (1.) Cum autem non raro hinc & inde monetæ antiquiffimæ miro sæpe casu eruantur,) 2
optimè

(1.) Autores, qui de re nummaria scripserunt, summa cum cura secundum alphabeti seriem collegit Theologus pariter ac Polyhistor celeberr. DN. M. JOH. CHRISTOPH. OLEARIUS, Diac. Biblioth. & Inspector Lycæi Arnstad. longè meritiſſimus in elucubratiſſimis tractat. quorum 1. sub tit. *Specimen uniuerſa rei nummaria ſcientificè tradende* A. 1699. 2. Curiöſe Münz- & Wiſſenſchafts- darinnen von der unſehlbaren Nutzbarkeit
aus

optime consultum eunt bono publico, qui illas non in tenebris jacere & æruginè obfusari patiuntur, sed cum explicatiunculis illas conspectui publico exponunt. Cum igitur non ita pridem ejusmodi nummulus ex antiquitate Romana à quodam Viro non tam Jurisprudentiæ, quam scientiæ Martialis peritissimo ac consulissimo, cujus ob modestiam nomen reticeo, exhibitus dono mihi sit, de illo pauca commentari, operæ pretium statui, eò magis adductus, quo ejus inopinam inventionem rariorem & admiratione digniorem esse existimo. Etenim cum Vir nobilissimus ædium suarum satis splendidarum tectum ex lapidibus fissilibus constructum, (ante biennium vero una cum aliis incendio absumtarum, nunc autem longè splendidius reædificatarum,) aliquot abhinc annis per lapidum fissilium tectorem reparari curaret, ex improviso hic nummulus sub frontispicium hujus plagulæ ære exculptus, lapide quodam fissili malleo discusso, ad pedes Dn. possessoris excidit, ita ut valentiori ietu particula quædam dissilierit. Est autem hic nummus crassior ex argento purissimo confatus semididrachmo æquivalens, annumque sesquimillesimum vetustate superans. Si vero quæritur, quid nummus hic in tectum delatus sit, fateor me nescire, nisi forsan, hunc nummum ex ipsa fodina lapidibus fissilibus accretum, ubi forsan plures

ausführlich gehandelt wird / A. 1702. publicatus. Inter alios de re nummaria insigniter beneque meriti sunt DNN. COLLECTORES Hamburg. in memorabilibus suis Germ. Vid. compendium eventuum negotiorum publicorum Augustz Vindelic. A. 1702. editorum. Hic allegari quoque merentur *Joh. Harduini* è S. J. Presbyteri opera selecta olim Parisiis, anno autem superiori Amsterodami in folio auctius excusa, in quibus inter alia agitur de nummis antiquis populorum & urbium illustratis: de nummis Herodianis: de numismatibus seculi

plures hujus generis monetæ absconditæ fuerunt, huc translatum esse, conjectura locum habeat. Cum autem hujus monetæ penitus cognoscendæ avidior essem, eum illico cum laudatissimo D. N. J. C. OLEARIO, ut cæterarum scientiarum, ita rei nummariæ quoque scientissimo, communicavi, cujus vitulo magnam partem me hic arare, ingenue fateor, cum ingenui animi sit, fateri per quos profeceris. Hic celeberr. Icti Batavi D. Jac. Oisellii thesaurum selectorum numismatum antiquorum à Jul. Cæs. usque ad Constantinum M. promptissime transmissit, (2.) in quo hujus nummi posticam tantum signaturam, sine Imperatricis effigie cum brevibus explicatiunculis deprehendi. Antica autem & postica figura in titulo hujus scriptiunculæ exhibetur. In priori cernitur icon Faustinae cum perigraphe: DIV. AUG. FAUSTINA. Fuit autem hæc Faustina filia natu minor Antonini Pii Imperatoris mater Faustina à Senatu Rom. AUGUSTA dicta, in cujus honorem templum exstructum & statuæ aureæ argenteæque sunt positæ. Hanc autem nostram Faustina Matri Synonymam Antoninus Imp. cognomento *Philosophus* (3.) A. 147. uxorem duxit, quæ vero cum matre honestæ famæ non

X 3 fuit,

culi Constantiniani it. Tetrici, Diocletiani & Maxentii explanatis: de historia Augusta ex nummis antiquis Græcis Latinisque restituta, (quæ primum in lucem prodit,) & denique accessit explicatio nummi sub Ludovico XII. cusi hac cum inscriptione: *perdam Babylonis nomen &c.* quorum operum venditio bibliopoli Gallicis dicitur prohibita. (2.) Elegantissimus hic tractatus cum iconibus æneis editus est A. 1677. Amsteredami in 4to. (3.) *Philosophus* dicitur, quia Stoicam sctam professus erat. Græcè XII. libros scripsit de vita sua, quos Xylander & Meric. Casaubonus (Isaaci F.) latine verterunt. Horum inscriptio est: *ἡ ἀληθὴς αὐτοῦ*. Barthius advers. lib. 51. c. 16. censet non ipsos Antonini

fuit, interim maritus prudenter eam laudavit, diffimulata ejus impudicitia. Monitus ut eam repudiaret, dixisse fertur: *Uxorem si dimittimus, reddamus & dotem.* Dotis nomine intelligebat imperium, quod à Socero adoptatus acceperat. Ex eâ natus est filius Commodus, successor, sed incommodissimus, qui in adulterio natus creditur, nominis significationi male respondens. Hinc Capitolinus (4.) scribit: *Antoninus felix fuisset, si filium non reliquisset.* Huc faciunt verba Imp. Augusti de Agrippa nepote & utraqve Julia filia & nepte, quam prolem degenerem *vomicas* & *carcinomata* appellare solitus est, sapius non sine gemitu repetita:

O utinam cælebs mansissem, aut prole carerem.

Interim huic etiam Faustinae tantus habitus est honor, ut ipsi velut Deæ cuidam, fana aræque erigerentur & festa, *Faustinalia* dicta, teste Capitolino, celebrarentur. (5.) Cæterum in Faustinae vertice tutulus conspicitur crinitus margaritisque interstinctus. Erat autem tutulus, à tuen-

tonini libros extare, sed excerpta ex iis, qualia veteres *Florida*, Græci *χρῆσιμα* dixerunt. Vossius opinatur τα καὶ ἰαυτῶν, idem opus esse, quod Svidas appellat *ιδιὰ βίβλιν διαγωγῆς*, non quasi vitæ suæ historiam reliquerit, sed quia vitæ suæ ideam condiderit, quam quotidie legeret & ad usum transferret, agunt enim hi libri de officio boni principis. Casaubonus laudatus eruditas notas addidit. At illa vita M. Aurelii Antonini ab Antonio Guevarra sub tit. *horologium principum*, conscripta, est tota supposititia. Habet interim lectu non inutilia nec injucunda cum primis Principi. De hoc Antonino porro notandum venit, quod solus inter Imp. Rom. fortunam obsequentem nummis suis insculpsit, Vid. Oifel. p. 321. sq. item B. W. E. Tenzel. in numismat. Elector. Sax. *FRIDERICO AUGUSTO* Reg. Polon. ex Polonia primum Dresdam reduci A. 1699. inscripto (4.) in hoc Imp. 5. 7. (5.) Capitol. l. c. & ex

à tuendo capite sic dictus, proprie apex pilei sacerdotum
sacrificantium apud Rom. in conum seu elenchum me-
taque figuram desinens. Romani enim omnibus Diis,
præter Saturnum, Honorem & Herculem, operto capite
sacrificabant. Tutuli porro dicebantur capilli, quos ma-
tres familiâs Romanæ, teste Varrone, (6.) convolutos in
capite gestabant. Extruebant enim in altitudinem mul-
tis gradibus & spiris comam cumulatam, quam Lucianus
ἰστανύσου τριχῶν & Papinianus *suggestum comæ* non in-
concinnè appellat. Ab aliis vocantur *spiræ*, unde *spirost*
capilli, apud Tertullianum (7.) *comam struere*, apud Apu-
lejum, *ordines & compages*, (8.) apud Juvenalem: (9.)

*Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
edificat caput.* Item apud Lucanum:

Turrita que gerens frontem matrona corona. (10.)

Ter-

& ex eo D. J. J. Hoffmannus in Lex. univers. in Faustinae
nomine (6.) Varro de LL. lib. 6. (7.) Tertull. lib. de pal-
lio. (8.) Apulei Metam. lib. 2. (9.) Juvenal. Sat. VI. v.
500. (10.) Has turres atque tutulos sexus sequior adhuc
hodie capitibus suis applicat, utut alia figura, quos *Fontange* vo-
cant, à quâdam Regis Europæ non ignoti Amasia, si relationi
fides habenda, in venatione ex improvise frondem sursum ver-
gentem capite decerpens coram Rege sic comparuit. Quæ
cum intelligeret, hanc formam Regi non displicere, illico cum
cæteris gynæceis talibus tutulis seu galeris stercis capita sua
exornârunt. Qui habitus postea feminis aliarum nationum,
cum primis Germanæ, quæ, ut cum Rangone in tractatu de ca-
pillamentis cap. 2. §. 4. loquar. Gallorum (peregrinarum
nationum) simia ac amula est, observatus adhuc hodie usur-
pat, in hunc etiam cum primis finem, ut quæ brevioris staturæ
sunt, longiorem mentiantur, de quibus B. D. Carol. Cassa Ro-
manus, olim Jenæ Ital. & Gallicæ lingvæ P. P. in libello suo *la*
Morale inscripto, Discorso II. §. 47. hæc scribit: *Femine ne son*
più desiderose, che gli huomini, perche mancando loro la forza, si
studiano

Tertullianus (ii.) porro vocat hunc titulum *galerum*, hinc pio zelo hunc in luxum invehitur: *Quid crinibus vestris quiescere non licet, modo substrictis, modo relaxatis, modo suscitatis, modo elisis? alie gestiunt in circinnis coercere, alie, ut vaga & volucres elabantur, non bona simplicitate. Affigitis praeterea nescio quot enormitates sutilium atque textilium capillamentorum, nunc in galeri (12.) modum quasi vaginam capitis & operculum verticis, nunc in cervicem retro suggestum &c.*

Sed misso vertice crinito ad Faustinae faciem oculos me converto, quam si video, regiâ non indigna videtur. Repraesentat frontem altiorem, nasum longiorem, ocu-

studiano alla bellezza, elle s'impiastrano, & essendo piccole, sollevano la loro statura con una bugia montando sopra d'alti pantoffoli. Plura, sis, vid. in tract. de capillamentis Contr. Tiburt. Rangoni. Sup. Gen. Grypswald. A. 1700. d. 3. Dec. defuncto. it. in B. M. Joh. Henning. Past. Egid. Quedlinburg. libello de trichologia, in quibus tamen nihil de titulis reperi. Huc pertinet Joh. Baptiste Paicibellii, Abbatis Itali, Ducis Parmae & Placentiae in aula Neapolitana Ablegati tract. juridico-philologicus tripartitus de capillamentis &c. (ii.) Tertull. lib. i. de cultu foeminarum. (12.) Quidam pro galero galeam substituant, praesertim cum in veteri marmore legatur Calpurnia galeae ornatrix. Huic lectioni videntur favere veteres aumni, qui exhibent imagines Augg. Plotinae & Sabinae, Tertulliano corvae. Harum enim capillitium propius ad galeam accedit. Sed pro galero facit versus Juvenalis Sat. VI. v. 120.

Sed nigrum flavo crimem abscondente galero. Ubi Scholias-tes antiquus addit; crini suppositio, rotundo in modum galeae facto. Nempè ubi nativi crines non sufficiebant, alieni adsciti. Hinc Hieronymus ad Marcellam: quae capillis alienis verticem struunt. Ad has autem capillorum enormitates peritissimi quique structores, recte Tertulliano l. c. adhibebantur. Galerus (um) pr. eine spitze Müse 1. 2. eine Paruque. Voca-

oculosque eminentiores, adeo ut, teste Gvevarra Horol. princ. lib. 1. cap. 10. Deas omnes de sua divinitate & formositate aliquid ipsi impertiisse vulgo crederetur. Posticam nostrae monetæ signaturam inspecturis longe alia Faustina se conspiciendam præbet habitu nempe pietatis, velata stans ante aram accensam sinistra acerram genens & dextra manus compressa duobus digitis thura super aram injiciens cum inscriptione: PIETAS AUGUSTAE. Ejusmodi nummi Romani plures apud laudatum Oiselum conspiciuntur, in quibus non Imperatorum Augustorum tantum, sed Augustarum etiam PIETAS velata cernitur, quanquam ritibus diversis sacrificia sua peragant, ubi semper perigraphæ: PIETAS AUGUSTI vel AUGUSTÆ. (13.) Præfixa spatii angustia hos ritus hic annotare prohibet.

X

PIE-

Vocatur quoque *caliendrum* i. e. capilli adulterini, emittit. Hinc Scholiastes in Horat. *caliendrum* vocat apposititiæ & adulterinæ comæ suggestum, quo plerumque vetulæ Rom. utebantur, ut canos tegerent. Ejusmodi capillorum tutulus meretricibus flavo plerumque colore notatis, in usu apud Romanos olim fuit, id quod præter alios ex Juvenalis Sat. 6. versu allegato, conjicitur:

*Et nigrum flavo caput abscondente galero
Intravit calidum veteri centone lupanar.*

In quem locum vetus Scholiastes hæc: Meretricio flavo galero seu galericulo è crine flavo, qui meretricum color est, factitio & ascititio nigrum crinem matronalem abscondente, ut publica meretrix videretur. Et porro: Crine supposititio, rotundo mulieris capitis tegumento in modum galæ factio, quo utebantur meretrices flavo. Vid. Rango cap. 6. §. 10. (13.) Conf. Burch. Gotlib. Struvii in Salana Hist. P. P. celebratissimi deque Rep. literaria

PIETATIS autem nomine non tam ipsam Deam, quam personam, in cuius honorem moneta cusa est, innui cum Oiselio statuo. Quod autem duobus digitis Faustina thura in ignem super aram injicienda comprehendat, sciendum quod mos iste veterum exprimat, quo summis digitis thura Diis offerre solebant, de quo Hieronymus (14.) ad Heliodorum de laude vitæ solitariae ita scribit: *Non est tantum in eo servitus idoli, si quis duobus digitulis thura in bustum aræ iniiciat, aut haustum patere poculo fundat merum, sed avaritia etiam & idololatria &c.* Hunc in morem Plaurus, censente Gruter, digitum intendere videtur, (15.) *si hoc digitulis, iniquiens, duobus sumebas prioribus?* Hinc Lactantius: (16.) *colunt enim thure ac summis digitis, quæ sensibus intus colere debuerant.* Huc facit illud Prudentii: (17.)

*Si modicum salis eminulis
Thuris & exiguum digitis
Tangere, virgo benigna, velis.*

Sed filium hic prædictam ob causam abruptum confesso me ad nostras declamatiunculas plura hoc in argumen-

literaria longe meritisimi Syntagma Antiq. Rom. cap. I. p. 138. in picturis æneis Tab. IV. n. 18. 19. (14.) Hieron. Opp. recent. edit. A. 1684. Tom. 1. f. m. 6. epist. 1. ad Heliod. (15.) Plaut. Bacch. act. IV. sc. 4. v. 24. (16.) Lactant. lib. 1. cap. 20. (17.) Prudent. lib. 1. cap. 1. Hic legi in honorem passionis Eulaliæ martyris v. 112. sqq. Hic legi etiam meretur Job. Sanberius F. de sacrificiis cap. 24. P. m. 641.

mentum collaturas, quas optimæ monetæ juvenes ex dispositionibus germanicis proprio Marte Latine elaboratas recepto more recitabunt, & quidem.

Prologum aget *Theodosius Laurent. Hübner* Weissenfensis familia honestissima oriundus, usum numismatognosia ad omnes facultates & disciplinas strictissime applicaturus patientiam & benevolentiam in auscultando modeste rogabit.

Henricus Christianus Gese Visenensis optimi & de Ecclesia Christi optime merentis Patris filius æmulus atque strenuus, encomium Imp. Antonini Philosophi extollet.

Elias Adam Schleiffer Günstet. pracedenti, orationculam ob prolixiorē, succenturiaturus, laudes Imp. Antonini continuabit, ejusque obitum exponet.

Nicol. Benjamin Strunz Ebelebiensis florente familia natus, Imp. Commodum Antonini Philos. filium de genere vituperabit.

Christoph. Anton Hanzel Francoh. hætenus sæpe commendatus & adhuc merito commendandus. laudes Imp. Antonini Philos. ad celsissimum PATRIÆ PATREM, ALBERTUM ANTONIUM, ejusque Dn. Filium LUDOVICUM FRIDERICUM accommodabit; cum primis Genethlia Dn. ALBERTI ANTONII in 13. Mart. incidentia cum piis votis, maxime pro recuperanda valetudine, celebrabit.

Joh.

Joh. Petrus Gräse / Francohuf. Serenissimam & clementissimam nostram Principem ANN AM SOPHIAM cum Faustina Imperatrice quoad nomen & pietatem in sacrificando Christiano more comparabit & vota pro cellissima Domo nuncupabit.

Joh. Gottfrid Dünckel / Günstet. occasione variarum monetarum huc facientium gratias agendo & vota concipiendo epilogi partes teutonice in se suscipiet. Hisce declamatiunculis ut Patroni Opt. Max. praesentiam suam splendidissimam haud gravatim indulgeant, iterum atque iterum ea, qua par est, observantia rogo contendoque. Scribebam d. z. Martii
A. MDCCIX.





754699

(X2618588)

ULB Halle

3

006 829 430



VD 18

VD 17

R



15

92

Q. D. B. V.

Ad
DECLAMATIUNCULAS

De
FAUSTINÆ M. AURELII ANTONINI
PHILOSOPHI CONJUGIS
MONETA.



AD QVOSDAM PATRIÆ NOSTRÆ
SCHVVARZBURGICÆ

DEOS TUTELARES

Venerabundo animo & cum falis grano applicatas,
Inque Schola nostra FRANKENHUSANA
d. Martii more solito memoriter cum Deo
recitandas

SYNEDRIUM SACRUM *Venerabilissimum,*
& in hoc DN. PRÆSIDEM *Splendidissimum,*
plurimum Reverendum MINISTERIUM,
Amplissimum SENATUS COLLEGIUM,
& in hoc DNN. SCHOLARCHAS,
Omnesque Scholæ nostræ Fautores horumque studio-
rum Amatores

Citra ordinis præjudicium submissè & officiosè
invitat

M. JOH. HOFFMANN R.

ERFFURTI, typis LIMPRECTIANIS.



B.I.G.

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

Farbkarte #13

Centimetres